ΘΕΟΔΟΤΟΣ ΒΥΖΑΝΤΙΟΣ.

Τερτυλλιανοῦ: Liber de Praescriptionibus adversus Haereticos n. 53

Migne: Patrologia Latina t. 2 p. 72-74

Privatam autem blasphemiam illi qui sunt uatà Aeschinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicunt Christum ipsum esse Filium et Patrem. Est praeterea his omnibus, etiam Blastus accedens, qui latenter judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, XIV. mensis. Quis autem nesciat, quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum rediget?

e) Accedit his Theodotus haereticus Byzantius: qui posteaquam Christi pro nomine comprehensus negavit, in Christum blasphemare non destitit. Doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo dixit. Petrum autem illum negaret; ex Spiritu quidem Sancto natum ex virgine, sed hominem solitarium, atque nudum, nulla alia praecaeteris, nisi sola justitiae auctoritate.

Alter post hunc Theodotus haereticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam, et ipsum hominem Christum tantummodo dixit ex Spiritu Sancto, ex virgine Maria conceptum pariter et natum; sed hunc inferiorem esse quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Ps. CIX; 4). Nam illum Melchisedech praecipuae gratiae coelestem esse virtutem: eo quod agat Christus pro hominibus, deprecator et advocatus ipsorum factus. Melchisedech facere pro coelestibus angelis atque virtutibus, nam esse illum usque adeo Christo meliorem, ut apator sit, ametor sit, agenealogitus sit, cujus neque initium, neque finis comprehensus sit aut comprehendi possit.

e) Curiarius hic fuit Byzantius

Differt autem ab alio Theodoto de quo mox loquitur Tertullianus, qui Melchisedecianorum auctor fuit. Dicebant autem hi haere

2

tici Christum ipso Melchisedech inferiorem fuisse, quoniam Melchisedech sine patre et matre fuisse dicitur. Christum vero matrem habuisse evangelistae omnes et universa Scriptura ac traditio testantur. Le Pr.

ΑΚΑΔΗΜΙΑ ΑΘΗΝΩΝ